

obscurat gloriam Christi, cum homines proponunt Deo, hæc opera tanq̄ precium & propiciationem. Hic honos debitus vni Christo tribuitur nostris operibus, Secundo, neq̄ tamen inueniunt conscientia pacem in his operibus, sed alia super alia in veris terroribus cumulantes tandem desperant, quia nullum opus satis mundum inueniunt. Semper accusat lex, & parit iram. Tertio, Tales nunq̄ assequuntur noticiam Dei, quia enim irati fugiunt Deum iudicantem & affligentem, nunq̄ sentiunt se exaudiri. At fides ostendit praesentiam Dei, postq̄ constituit, q̄ Deus gratis ignoscat, & exaudiat. Semper autem in mundo hæsit impia opinio de operibus. Gentes habebant sacrificia, sumpta a patribus. Horum opera imitabantur, fidem nō tenebant, Sed sentiebant opa illa propiciationem & precium esse, propter quod Deus reconciliaretur ipsis. Populus in lege imitabatur sacrificia hac opinione, q̄ propter illa opera haberent placatum Deum, vt ita loquamur ex opere operato. Hic videmus quam vehementer obiurgent populum prophetae. Psal. 49. Non in sacrificijs arguā te. Et Ierem. Non precepi de holocaustomatibus. Tales loci damnant non opera, quæ certe Deus præceperat, vt externa exercitia in hac politia, sed damnant impiam persuasionem, q̄ sentiebant se per illa opera placare iram Dei, & fidem abijciebant. Et quia nulla opera reddunt pacatam conscientiam, ideo subinde noua opera excogitantur præter mandata Dei. Populus Israel viderat Prophetas in excelsis sacrificasse. Porro sanctorum exempla maxime mouent animos, sperantes se similibus operibus perinde gratiam consecuturos esse, vt illi consecuti sunt. Quare
hoc opus